



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Pvgnā Spiritvalis**


**Scupoli, Lorenzo**

**[S.l.], 1599**

**VD16 S 5184**

Cap. XVI. De modo quo homo spiritualis cor quietum sibi paret,  
seruareq[ue] poßit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)



## CAPVT XVI.

*Quòd spiritualis homo semper de-  
beat habere cor quietũ ac læ-  
tum in Domino.*

**D**ilecte filii, vt cor tuum in  
spirituali hac pugna, ab  
omni angustia ac perturbatio-  
ne quietum seruare possis; di-  
ligenter te ipsum obserua, &  
fidelem tibi constituas specu-  
latorem: qui cùm aliquid q̄ te  
possit turbare, molestareque  
perspexerit; confestim signo  
dato te præmoneat, vt ad de-  
fensionem tempestiuè te ar-  
mare valeas.

*Specu-  
latore  
opus  
est.*

Et

Et si contingat (vt solet sæpe) te ex euētu improuiso gra-  
uiter turbari, protinus omni-  
bus negotijs alijs sepositis, cō-  
tende vt denuò quietum ac læ-  
tum cor tibi concilies. Quo  
accepto, rectius cætera præ-  
stare poteris: quia animo tur-  
bato ac inquieto nihil effici-  
es: & diabolus occasionem  
inde sumit te grauius tentan-  
di. Quoniam ipse huiusmodi  
sanctâ animæ quietem seu pa-  
cem vehementer metuit, tan-  
quam tabernaculum Dei, in  
quo ipse multa mira opera-  
tur. Propterea quoque pesti-  
fera sua astutia nō omittit nos  
etiam sub specie boni deci-

pere. Quoniam sæpè in nobis excitat affectus ac desideria bona: sed oportet eos, ne decipiaris, ex fructibus eorum diligenter dijudicare. Nam si cor tuum inquietum reddunt, scias nihil in eis boni esse, sed diabolicam deceptionem hinc latere obsconditam.

*Affecti* Posteaquam autem specu-  
*bus et-* culator tuus tibi dat signum,  
*iam bo* adesse quendam affectum bo-  
*nis non* num, qui cor tuum cupiat in-  
*cidè lo* habitare; caue ut intromittas  
*eus dā-* eum prius, quàm voluntatem  
*aus.* tuam ab eius desiderio totam  
 expoliaueris: eumq; Deo sup-  
 plici oratione obtuleris, simul  
 que

que coram ipso tuam ignorā-  
tiam ac cæcitatem humilimè  
confitearis, & attentissimè ip-  
sum inuoces ac ores, vt lumē  
gratiæ suæ tibi benignè imper-  
tiat, ad cognoscendum & diju-  
dicandum an affectus hic bo-  
nus à gloriosissima sua Maie-  
state, an à re aliqua terrena p-  
ueniat.

Et semper esto memor sub-*Natu-*  
iugationis, mortificationisq; *re no-*  
tuæ propriæ Naturæ, prius *stra*  
quam vllum bonum affectum *morti-*  
in te admittas, etiam à Deo *ficatio*  
immissum. Quia gratiora ei  
sunt opera, quæ ex voluntate  
tua piè mortificata proueniūt,

G quàm

quàm quæ ex desiderijs tuæ vi-  
uidæ Naturæ feceris. Et sæpe  
plus placet Deo tuæ volunta-  
tis mortificatio, quàm ipsum  
opus bonum.

Ergo, dilecte fili, si vanos  
prauosque affectus tuos, sic  
vt prædixi, abs te excluderis  
nec bonos in animum tuum  
donec Natura tua propria, cum  
omnibus suis affectibus ac de-  
siderijs suppressa ac mortifica-  
ta sit, admiseris; semper quie-  
tus eris, & castrum cordis tu-  
tutum ab hostibus conserua-  
bis.

Propter eandem cordis tu-  
quietem, etiam caueas, absti-  
ne-

neasque à crebrioribus reprehensionibus, & afflictionibus interioribus tu ipsius. Istæ enim non semper à Deo, sed & à diabolo quandoque suggeruntur. Ex fructibus autem eorum cognosces unde potissimum oriantur. Nam si eæ reprehensiones te humilem atque quietum custodiunt, diligentiolemque in bonis operibus reddunt, piamq; in Deum confidentiam non auferunt; tunc eas suscipe tanquã à Deo inspiratas, qui sic ad ianuam cordis tui interius pulsar, vt te ipsum discas cognoscere.

*Repre-  
hensi-  
ones su-  
ipsius  
interio-  
res,  
nõ sem-  
per bo-  
næ;*

G 2

Si

Si autem te inquietum, pusillanimum, ad opera bona pigrum, & erga Deum diffidentem reddunt; idque eò precipuè tempore, quo easdem interiores reprehensiones, afflictionesque in te sentis; pro certo habeas non à Deo, sed à diabolo eas tibi suggestas esse. Huiusmodi ergo ne admittas in animum tuum, sed in tuis consuetis pijs exercitationibus hilariter persistas, quasi nihil istarum suggestionum in te sentis.